Quaestiones mythographae

Robert Münzel

QVAESTIONES MYTHOGRAPHAE

SCRIPSIT

ROBERTUS MÜNZEL

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS

MDCCCLXXXIII

QVAESTIONES MYTHOGRAPHAE

SCRIPSIT

R. MÜNZEL

huius diei sollemnitate, oramus exoptamusque, ut in longum aevum munere Tuo honorum amorisque plenissimo fungare in alma hac Musarum sede Rhenana. Vale faveque.

Bonnae die II mensis Martii a. MDCCCLXXXIII

Lvdovicvs Seelbach
Pavlvs Wolters
Robertvs Münzel
Fridericvs Koepp
Fridericvs Marx
Rvdolfvs Hoyer
Ernestvs Praetorivs
Ivlivs Höpken
Alfredvs Gercke
Franciscvs Winter
Iohannes Kemke
Pavlvs Brandt
Edvardvs Phillips
Carolvs Scherer

Laetus exoptatusque, praeceptor carissime, omnibus viris humanioribus effulsit dies ille quo Tu ante haec quinque lustra summos in philosophia honores auspiciis optimis adsecutus es. Non mirabere igitur quod nos quoque, iuvenum societas a Te semper dilecta, pietatis nostrae et laetitiae publicum extare voluimus monimentum. Nostrum enim unusquisque expertus est, quanto animi candore Tu singulorum discipulorum studia fovere et amplecti soleas, quam indefessa benignitate et liberalitate semper nos docere sublevare erigere studeas, ita ut litterarum amoris illius, quo Tu totus exardescis, flammas nostris quoque animis incenderis et propinaveris. Benigne igitur hoc qualecumque opusculum accipias, si non doctrina rerumque copia perspicuum, certe animi documentum pientissimi. Gloriamur quod in discipulorum Tuorum numero nos quoque nominare licet, vota fausta nuncupamus pro Tua salute

HERMANNO VSENER

FESTVM AGENTI DIEM
QVO ANTE HAEC QVINQVE LVSTRA
VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
PROMOTVS EST

PIE GRATVLATVR

SOCIETAS PHILOLOGA BONNENSIS

Bene nobis consuluit Fortuna, quod litteris Graecis Romanisque aut laete efflorescentibus et nova in dies capientibus incrementa aut ad occasum iam devergentibus viros eximios excitavit, qui quidquid in singulis studiorum campis elaboratum erat antea vel ipsi elaboraverant comprehenderent magnis libris et largissimum eruditionis thesaurum posteris suppeditarent. Ab Herodiano, cuius reliquias opere illo admirabili quamquam non omnibus numeris absoluto Lentz conlegit, artis grammaticae apud Graecos scientia fere tota repetenda est; e Varronianae doctrinae flumine maximo omnes qui postea in iisdem argumentis versabantur largo haustu biberunt, quamquam nemo usque ad hunc diem inventus est qui eius fragmentis recensendis et disponendis operam utilissimam navaret. Sed sciunt philologi prae Varronis de rebus sacris eruditione posteros scriptores paene sordere vel potius nullos esse: Apollodori quanta de Graecorum theologia merita fuerint quantaque floruerit auctoritate primus quod sciam et fere unus Hermannus Usener praesagiente animo perspexit[1]. Bono igitur omine hoc qualecumque opusculum incipere licet, in quo si non doctrinae laus cernatur attamen animus pius ac fidelis.

Ante Apollodorum nemo quantum scio grammaticus tam amplos de dis libros conscripserat; hic primus totius materiae ubique dispersae conligendae consilium cepit. Ac vixit ea aetate quae summopere eiusmodi studiis faveret. Ingens librorum numerus in bybliotheca Alexandrina asservabatur, cuius copiis in condendo περὶ θεῶν opere eum usum esse verisimile videtur, in interpretandis scriptoribus desudabant grammatici, artis criticae exemplar egregium

---

[1] Cf. Mus. Rhen. XXIII 1868 p. 328 sq.: *Die uns vorliegenden Reste alter Exegese hangen in diesen ⟨theologischen⟩ Dingen wesentlich von dem Material ab, was in dem reichen Magazine des Apollodoros* περὶ θεῶν *aufgestapelt war.* Vide etiam quae disseruit Wilamowitz, *Antigonos von Karystos* p. 5.

n recensendis Homeri carminibus Aristarchus proposuerat[1]; atque, quod summi momenti est, immensum rerum memorabilium thesaurum ii scriptores coegerant qui singularum regionum origines, historiam fabularem, sacra, dies festos peculiaribus libris enarraverant.

His igitur subsidiis instructus et Stoica imbutus philosophia Apollodorus ad conscribendos περὶ θεῶν libros accingebatur, qui quanta rerum copia prae Stoicorum operibus similibus excelluerint e frustulis ad nostram aetatem servatis divinare licet. Ad Apollodorum confugiebant qui de dis scripsere philosophi, item grammatici, si quid in veterum scriptorum libris de deorum nominibus, cognominibus, cultu dictum invenerant quod interpretatione vel explicatione indigere videretur. Itaque Apollodoreae doctrinae plena sunt scholia, plena lexica; quin etiam patres ecclesiastici eum non spernebant, ut vanas gentilium de dis opiniones irriderent et redarguerent. Licet enim lineamenta adumbrare operis cuiusdam quod ab omnibus fere apologetis Christianis in usum vocabatur et maximam partem ex Apollodoro conflatum est. Nonnumquam etiam eius nomine ut gravissimi in his quaestionibus testis abutebantur velut Athenagoras [Supplic. pro Christ. c. 28 p. 150 Otto] καὶ ὅτι μὲν ἄνθρωποι (οἱ θεοὶ) δηλοῦσι μὲν Αἰγυπτίων οἱ λογιώτατοι, οἳ θεοὺς λέγοντες αἰθέρα, γῆν, ἥλιον, σελήνην τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους θνητοὺς νομίζουσι καὶ ἱερὰ τοὺς τάφους αὐτῶν· δηλοῖ δὲ καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν. Inter fragmenta enim hoc testimonium recipiendum non erat.

Non mirabere igitur, si ne mythographorum quidem similiumque scriptorum libros prorsus neglexisse Apollodorum contendo sed inde quoque quae memoratu digna videbantur deprompsisse, non quo vera putaret esse quae de ortu deorum, rebus gestis, sepulcris narrabantur[2], id quod non licuit philosopho Stoico, sed ut

---

[1] Non debet dubitari quin Alexandriae Aristarchus ab Apollodoro auditus sit i. e. antequam ille Ptolemaei Physconis regis crudelitate et immanitate — cf. Athen. IV p. 184^{c} — Alexandria relicta Cyprum fugere cogeretur, id quod factum est anno 146 a. Chr.; post hunc annum Alexandriae certe non commoratus est Apollodorus, quem anno 144 Attali II, Pergamenorum regis, favore fruentem videmus.

[2] Quomodo historiam fabularem philosophis rationibus adstrinxerit luculento exemplo ostendam. In Pindari Isthmiorum prolegomenon ea parte quae inde a verbis τὸν τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνα usque ad Ἀμφίμαχος καὶ Δονακῖνος ἐκαλοῦντο legitur, uno loco Apollodori vestigia deprehendisse mihi videor: καὶ πίτυϊ λοιπὸν ἐστεφάνουν διὰ τὴν πρὸς τὴν θάλασσαν ὁμοειδίαν τοῦ φυτοῦ καὶ διὰ τὸ ἄκαρπον αὐτὴν εἶναι ὥσπερ τὴν θάλασσαν· διὸ καὶ

eruditionis copiam quam largissimam legentibus exhiberet. Ne[q] temere me hoc statuere hac commentatione demonstrare [co]nabor.

Alcestidis Euripidiae versui primo adscriptum est hoc sc[ho]lion[1]: Ἀπολλόδωρος δέ φησι κεραυνωθῆναι τὸν Ἀσκληπιὸν [ἐπὶ] τῷ τὸν Ἱππόλυτον ἀναστῆσαι, Ἀμελησαγόρας δὲ ὅτι Γλαῦ[κον,] Πανύασις ⟨δὲ⟩ ὅτι Τυνδάρεων, οἱ δὲ Ὀρφικοὶ ὅτι Ὑμέναι[ον,] Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ. Φερεκύδης ⟨δὲ⟩ [ἐν] τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν τοὺς ἐν Δελφοῖς φησι θνήσκοντας αὐ[τὸν] ἀναβιώσκειν[2]. Φύλαρχος δὲ διὰ τοὺς Φινείδας, Τελέσαρχος [δὲ] δι' Ὠρίωνα, Πολύαρχος δὲ ὁ Κυρηναῖος διὰ τὸ τὰς Προίτου θυ[γα]τέρας αὐτὸν ἰάσασθαι κεραυνωθῆναί φησιν.

Haec omnia plana et aperta. Unum Apollodori nomen di[ffi]cultates creavit C. Roberto, qui novissimus quantum scio de [h]oc scholio disputavit. Sed antequam Roberti sententiam examinem, e re erit ceteros qui huc faciunt locos adponere.

Schol. Pind. Pyth. III 96: Λέγεται δὲ ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς[4] ἀναστῆσαι Ἱπ-	[Apollod.] Bibl. III 10, 3, 10[…] Εὗρον δέ τινας λεγομέν[ους] ἀναστῆναι ὑπ' αὐτοῦ, Καπα[νέα]

ἀτρύγετος, cl. Plutarcho Quaest. conviv. V 3, 1: Οὐ μὴν ἀλλὰ κατ' ἰδίαν Ποσειδῶνι φαίη τις ἂν τὴν πίτυν προσήκειν, οὐχ ὡς Ἀπολλόδωρος οἴε[ται] παράλιον φυτὸν οὖσαν κτλ. Totum autem locum ad Apollodorum referen[dum] esse singulorum enuntiatorum coniunctione artissima verisimile fit. Praet[erea] in fine aperte respicitur ad initium, ubi de Sini, Neptuni filio, actum e[st:] πάντας δὲ εἰκότως τοὺς γενομένους ὑπερηφάνους καὶ γενναίους Ποσειδῶ[νος] παῖδάς φασιν οἱ ποιηταὶ εἰς τὸ τῆς θαλάσσης ἄγριον καὶ σταθερὸν ἐ[μφο]ρῶντες· ὅπερ καὶ Ὅμηρος ὑποδηλῶν λέγει· [Π 34] Γλαυκὴ δέ σε τίκτε [θά]λασσα Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής. En habes gra[mma]ticum philosophantem.

[1] Quae certa emendatione restituta erant emendata adposui; δὲ bis add[idi].

[2] Malim ἀναβιῶσαι cl. Palaephato c. 41.

[3] Non temere suspicatur Heyne margini olim haec adscripta fuisse. [De] Apollodori quae fertur bybliotheca cf. C. Robert, De Apollodori biblioth[eca] Berol. 1873. Apollodori nomen quomodo huic libello inditum sit op[time] explicuit H. Diels Mus. Rhen. XXXI 1876 p. 8.

[4] Χρυσῷ δελεασθεὶς verba e Pindaro

ἔτραπεν καὶ κεῖνον ἀγάνορι μισθῷ χρυσὸς ἐν χερσὶν φα[νεὶς]
ἄνδρα ἐκ θανάτου κομίσαι
ἤδη ἁλωκότα

addita sunt a scholiasta.

πόλυτον τεθνηκότα, οἱ δὲ Τυνδάρεων, ἕτεροι ⟨δὲ⟩ Καπανέα, οἱ δὲ Γλαῦκον, οἱ δὲ Ὀρφικοὶ Ὑμέναιον, Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ, οἱ δὲ διὰ ⟨τὸ⟩[1] τὰς Προιτίδας ἰάσασθαι, οἱ δὲ διὰ τὸν Ὠρίωνα. Φύλαρχος ⟨δὲ⟩ ὅτι τοὺς Φινείδας ἰάσατο, Φερεκύδης δὲ ὅτι τοὺς ἐν Δελφοῖς θνήσκοντας ἀναβιοῦν ἐποίησεν.

καὶ Λυκοῦργον, ὡς Στησίχορός φησιν ἐν Ἐριφύλῃ, Ἱππόλυτον, ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει, Τυνδάρεων, ὥς φησι Πανύασις, Ὑμέναιον, ὡς οἱ Ὀρφικοὶ λέγουσι, Γλαῦκον τὸν Μίνωος, ὡς Μελησαγόρας λέγει[2].

Adiungo Philodemum περὶ εὐσεβείας p. 52 Gomperz:

Ἀσκληπι[ὸ
ν δὲ Ζε]ὺς ἐκεραύνωσ-
εν, ὡς μ]ὲν ὁ τὰ Ναυπα-
κτι]κὰ συνγράψας
κά]ν Ἀσκληπιῶ[ι
Τελ]έστης καὶ Κεινη-
σίας] ὁ μελοποιός, ὅ-
τι τὸ]ν Ἱππόλυτον
παρα]κληθεὶς ὑπ' Ἀρ-
τέμι]δος ἀνέστ[η]σε
ν, ὡς δ' ἐ]ν Ἐριφύλῃ Σ[τη-
σίχορ]ος, ὅτι Κα[πανέ-
α καὶ Λυ]κοῦρ[γον[3]

Hi loci omnes ita comparati sunt, ut tantum non caecutire putandus sit qui eos ex uno eodemque fonte fluxisse neget. Et quam arte inter se cohaereant exemplo sat gravi demonstrari potest.

Naupactiorum poeta plerumque audit ὁ τὰ Ναυπάκτια ποιήσας vide Philod. π. εὐσ. p. 17 G.[4] et Kinkelii FEG fragmenta 2—5]

---

[1] Addidi τὸ et bis particulam δὲ.

[2] Inter Ἀμελησαγόρας et Μελησαγόρας fluctuare solent libri; cf. Müller FHG II 21.

[3] Quae secuntur litterarum fragmenta

ACT
ЄѠN
TOI

probabiliter sed non certo supplevit Gomperz [ὡς | δὲ Πανύ]ασσ[ις ὅτι Τ]υν-δ]άρεων.

[4] Ibidem p. 18, 1 G. apte restitui posse videtur

ὁ [τὰ Ναυπάκτια
ποήσα[ς

vel ὁ τῶν Ναυπακτικῶν ποιητής, ut schol. Hom. V O 336 fr. 1 K. Ἐν δὲ τοῖς Ναυπακτικοῖς legitur apud schol. Apoll. Arg. III 52 fr. 6 K; apud Philodemum autem et Apollodorum — brevitati causa hac appellatione uti mihi liceat — invenitur ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας, id quod magis in scriptorem orationis pedestri cadit quam in poetam, certe casu non factum est. Consentiun praeterea Apollodorus et ~~Pindari~~ scholiasta in verbis Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ. Persuasum igitur habeo unius catalogi frustula disiecta nos tenere, praesertim cum iidem fere scriptores adlegentur[1]. Sed adaugentur difficultates. Pro Apollodoro enim, quem scholiasta Euripidius commemorat, apud Philodemum et Apollodorum, bybliothecae qui fertur auctorem, Naupactiorum poeta comparet. Unde ista confusio orta est? Cur Apollodorus commemoratur? Valde dolendum est, quod apud Pindari scholiastam initio, ubi Aesculapium propter Hippolytum in vitam revocatum a Iove fulmine percussum esse dicit, scriptoris nomen intercidit, neque quidquam hac in re lucramur Sexti Empirici testimonio non parvae alioquin auctoritatis, quod consulto reservavi [Advers. math. I 260 p. 658 Bekk.]: Οἱ ἱστορικοὶ τὸν ἀρχηγὸν ἡμῶν τῆς ἐπιστήμης Ἀσκληπιὸν κεκεραυνῶσθαι λέγουσιν . . . . . Στησίχορος μὲν ἐν Ἐριφύλῃ εἰπὼν ὅτι τινὰς τῶν ἐπὶ Θήβαις πεσόντων ἀνιστᾷ, Πολύανθος δὲ ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως ὅτι τὰς Προίτου θυγατέρας κατὰ χόλον Ἥρας ἐμμανεῖς γενομένας ἰάσατο, Πανύασσις[2] δὲ διὰ τὸ νεκρὸν Τυνδάρεω ἀναστῆσαι, Στάφυλος δὲ ἐν τῷ περὶ Ἀρκάδων ὅτι Ἱππόλυτον ἐθεράπευσε φεύγοντα ἐκ Τροιζῆνος κατὰ τὰς παραδεδομένας κατ' αὐτοῦ ἐν τοῖς τραγῳδουμένοις φήμας, Φύλαρχος δὲ ἐν τῇ ἐννάτῃ διὰ τὸ τοὺς Φινέως υἱοὺς τυφλωθέντας ἀποκαταστῆσαι χαριζόμενον αὐτῶν τῇ μητρὶ Κλεοπάτρᾳ τῇ Ἐρεχθέως, Τελέσαρχος δὲ ἐν τῷ . . Ἀργολικῶν[3] ὅτι τὸν Ὠρίωνα ἐπεβάλετο ἀναστῆσαι[4].

Attamen his testimoniis comparatis iam possumus in originem catalogi inquirere; atque primum quidem Roberti sententiam exa-

---

[1] Hoc vidit etiam Robert p. 57 sq.

[2] Hoc loco Πανύασσις scripsi, quod dilucidis corruptelis πανυάσιος et παρυάσιος codices exhibent.

[3] Ἐν τῷ..Ἀργολικῶν scripsi; legebatur ἐν τῷ Ἀργολικῷ. Videntur enim pluribus libris Telesarchi Ἀργολικὰ constitisse: cf. schol. Hom. A 690 Τελέσαρχος ἐν τοῖς Ἀργολικοῖς [Müller FHG IV 508].

[4] Videtur Sextus Empiricus doctum scholion fortasse Didymeum compilare, unde sine ordine et consilio quidquid adridebat excerpsit. Cautione igitur opus est, ne omnia quae apud Sextum leguntur huic catalogo adtribuamus.

BONNAE TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYP.

minemus, qui de scholio Euripidio sic disputavit De Apollodori bibl. p. 58: 'Ceterum ipsius Apollodori ⟨scil. bybliothecae auctoris⟩ verba exscripsit schol. Alc. 1, Pherecydis et eorum, quos Sextus Empiricus addidit tantum non omnium testimonio aucta.' Adiit igitur, si Robertum recte intellego, scholiasta Euripidius Apollodori bybliothecam, exscripsit quae exscribere potuit; et Pherecydis aliorumque testimonia unde transtulit? An libros ipsos inspexit? Hoc incredibile videtur, neque quisquam opinor homini vili, qui Apollodori nomen ementitus est, condonabit. Deinde quo tandem modo scholiasta intellegere potuit, quaenam esset Apollodori personati, si omnino eius est docta illa notatio, sententia? Cur non Naupactiorum poetam, ut scriptum videbat apud eum, nominavit? Vides quantis difficultatibus implicemur, si Roberti sententiam sequamur[1]. Immo sic statuendum videtur, Apollodorum illum celeberrimum περὶ θεῶν operis auctorem esse intellegendum. Atque perbene explicari potest, quomodo factum sit, ut initio scholii Euripidii non Naupactiorum poeta (et Cinesias Telestesque) sed Apollodorus commemoraretur. Nam cum veri dissimillimum sit, scholiastam hunc catalogum nescio unde desumpsisse et suo Marte Apollodori testimonium adiecisse, necessario statuendum est Apollodori mentionem cum catalogo ipso coniunctam fuisse. Iam vides quo tendam. Nempe totam notationem illam ex Apollodoro fluxisse persuasum habeo, et quod apud scriptores veteres sexcenties factum esse scimus ut loco citato originis nota adhaereret, hic quoque usu venisse puto. Depromptus est catalogus ex Apollodori περὶ θεῶν libris, et Naupactiorum poetae, quem ille testem adduxerat, ipsius Apollodori nomen substitutum est. Temperare mihi non possum, quin exemplum luculentissimum adscribam, quod in Lucani commentis Bernensibus [VII 8 p. 220 sq. Us.] legitur et olim ab Usenero mecum communicatum est: 'Varro dixit somnia nasci aut ex abundantia principiorum aut deminutione, cum aut plus nobis caloris est aut minus aut plus humoris aut minus aut plus aeris aut minus aut plus terreni aut minus . . . . Epicurus dicit atomos influere animis nostris in imaginibus corporum . . . . . Plato item dicit etqs.' Varronis quae dicitur opinio Empedoclea est, ut rectissime coniecit Usener [p. 221 ad v. 6] idemque Varronis loghistoricis locum illum vindicavit. Cf. Diels Doxographorum p. 199.

---

[1] Non puto virum doctissimum quae olim scripsit etiam nunc tenere, quamquam non invenio eum haec retractasse.

Sed possumus nostram sententiam alia ex parte fulcire et st: bilire. Omnes enim scriptores qui in catalogo adlegantur ante Apoll dori aetatem vixisse aut certis testimoniis constat aut probabil videtur. De aetate Naupactiorum poetae (Cinesiae Telestisque Stesichori, Panyassidis non est cur loquamur; idem cadit in Ame lesagoram — cf. Vossius, De histor. gr. I 22 West. — et in Phe recydem. Phylarchus Ptolemaei Euergetae et Philopatoris tempo ribus floruit. De Telesarcho et Polyarcho Cyrenaeo vel potius Po lyantho, si Sexto credere mavis, non constat [1], Apollodoro tame eos vetustiores esse verisimillimum est. Nemo autem historiam Aes culapii, cur a Iove interfectus sit, non ἐν παρέργῳ tangere potest qui data opera in varias fabulas inquireret et poetarum historico rumque testimonia conligeret non fuit nisi Apollodorus.

Teneamus igitur nostrum Apollodorum. Iam catalogum ipsum si intento animo perlegeris statim animadvertes certo ordine quam quam hic illic turbato singula testimonia sese excipere: a notissimis fabulae formis ad reconditas adscendimus, itemque a poetis ad pedestris orationis scriptores. Quem ordinem fortuitum esse nemo putabit sed certo consilio factum. Atque cum vix unum testimonium loco removeatur necesse sit, ut pristina catalogi forma recuperetur et in clariore luce ponatur, non timeo ne nimis seduli esse videamur, si hoc modo catalogum restituere conabimur. Itaque circumspicientibus nobis quemnam hac in re ducem eligamus fere ultro sese obferunt Philodemus et Apollodorus personatus, quorum ille longe vetustissimus est, genuini sermonis umbram servavit uterque, cf. p. 5.

Ἀσκληπιὸν δὲ Ζεὺς ἐκεραύνωσεν, ὡς μὲν ὁ τὰ Ναυπάκτια συγγράψας κἀν Ἀσκληπιῷ Τελέστης καὶ Κινησίας[2] ὁ μελοποιός, ὅτι τὸν Ἱππόλυτον παρακληθεὶς ὑπ' Ἀρτέμιδος ἀνέστησεν.

Sequitur deinde apud schol. Alc. 1 Amelesagoras, quem post Or-

[1] Utrum e Sexto Πολύανθος an e scholiasta Euripidio Πολύαρχος corrigendum sit dubitari potest. Ego malim Sextum sequi, qui accurate operis titulum exhibet, praesertim cum Πολύαρχος apud schol. Alc. e Telesarchi nomine, quod antecedit, natum esse videatur; cf. Vossius, De hist. gr. III 488 sq. West.

[2] Non possum credere 'rectissime' Wilamowitzium, *Zukunftsphilologie* I p. 21 adn. 28 — Robert p. 58 adn. 3 Wilamowitzii sententiam non bene exaggeravit — observasse Philodemum Cinesiam et Telestem de suo addidisse, id quod a Philodemi studiis prorsus abhorret. Praeterea poetarum illorum par apud Philodemum non raro invenitur cum ipsa disputatione artissimo vinculo coniunctum, ut mira constantia eorum testimonia ceteris interposuisse philosophus Epicureus putandus sit.

phicos Apollodorus conlocat, rectissime mea quidem sententia. Tacet Philodemus de Amelesagora, cuius testimonium temporum iniuria apud eum interceptum est, et secundum locum Stesichoro adsignat.

ὡς δ' ἐν Ἐριφύλῃ Στησίχορος ὅτι Καπανέα καὶ Λυκοῦργον[1], Philodemus nunc dimittendus est, et ad Apollodorum et scholiastas confugiendum. Utar in sequentibus scholiastae Euripidii sermone.

Πανύασσις δὲ ὅτι Τυνδάρεων[2], οἱ δὲ Ὀρφικοὶ ὅτι Ὑμέναιον, Ἀμελησαγόρας δὲ ὅτι Γλαῦκον ⟨τὸν Μίνωος⟩[3].

---

[1] Apud scholiastam Pindari rectius legitur Στησίχορος δὲ ἐπὶ Καπανεῖ καὶ Λυκούργῳ. Idem paullo antea exhibet ἕτεροι ⟨δὲ⟩ Καπανέα, quibus verbis potest vera doctrina subesse, sed malim illud ἕτεροι δὲ Καπανέα ut meram dittographiam delere.

[2] Cf. Aeneas Gazaeus Θεοφρ. p. 71 Boiss.: Ὑμεῖς γάρ, εἰ τὸν Γλαῦκον τὸν Μίνωος ἀποπνιγέντα τῷ μέλιτι Πολύειδος ὁ μάντις ἐξ Ἄργους εἰς Κρήτην ἀφικόμενος ἀναστῆσαι λέγοιτο παρὰ τοῦ δράκοντος μαθὼν τὴν πόαν, ἀβασανίστως δέχεσθε, καὶ ὅτι τὸν Ἱππόλυτον ὁ Ἀσκληπιὸς ἢ τὸν Τυνδάρεων (λέγεται γὰρ καὶ τοῦτο) καὶ ὡς τὴν Ἄλκηστιν Ἡρακλῆς καὶ τὸν Θησέα καὶ † Τύμωνα (l. Τύμωλον) τὸν Λυδὸν καὶ Τιμοσθένην τὸν Ἀθηναῖον Εὐδόξῳ † τῷ τοιαῦτα συγγράφοντι πείθεσθε.

[3] Etiam alibi memoriae traditur Glaucum Minois filium ab Aesculapio vitae redditum esse: cf. Hygin. astron. II 14 p. 51, 21—52, 5 Bunte: 'Nonnulli Glaucum Minois filium eius (scil. Aesculapii) opera revixisse dixerunt. Pro quo ut peccato Iovem domum eius fulmine incendisse, ipsum autem propter artificium et Apollinem eius patrem inter sidera anguem tenentem constituisse. Ut quidam dixerunt, hac de causa anguem dicitur tenere, quod cum Glaucum cogeretur sanare, conclusus quodam loco secreto bacillum tenens manu, cum quid ageret cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius adrepsisse: quem Aesculapius mente commotus interfecit bacillo fugientem feriens saepius. Postea fertur alter anguis eodem venisse ore ferens herbam et in caput eius imposuisse; quo facto utrosque loco fugisse. Quare Aesculapium usum eadem herba et Glaucum revixisse. Itaque anguis et in Aesculapii tutela et in astris dicitur conlocatus.' Hygini verba 'pro quo ut peccato' usque ad 'anguem tenentem constituisse' ex Eratosthene desumpta sunt, cf. Roberti Eratosth. p. 71, cetera aliena. Totam autem Hygini narrationem ex Ovidii Fastor. VI 750 sqq. versibus male intellectis

profuerant Glauci manibus illa (sc. gramina) prius
tunc cum observatas augur descendit in herbas
usus et auxilio est anguis ab angue dato

natam esse Merkel putavit, quem cum Robert recte refutaverit et quod inter Hyginum et Ovidium discrimen intercederet exposuerit Eratosth. p. 233, acta agere nolo. Attamen nonnulla addere iuvat. Primum serpentarius cur anguem teneat Hyginus rationem reddere studet, id quod ab Ovidii consilio prorsus abhorret, neque ex brevissimis eius verbis — si omnino duo illi ver-

Quod sequitur apud schol. Alc. Pherecydis testimonium utrum hic inserendum sit an in finem cum scholiasta Pindarico reservandum non multum refert. Fateor tamen scholiastae Pindari rationem unice adridere, cum Pherecydis historiola valde discrepet a ceterorum narratione, qui aut hominem certum aut familiam ab Aesculapio sanatam tradunt. Propterea Pherecydi aptissimum locum in fine catalogi inveniemus.

Φύλαρχος δὲ διὰ τοὺς Φινείδας,

Cf. Sextus: Φύλαρχος δὲ ἐν τῇ ἐννάτῃ διὰ τὸ τοὺς Φινέως υἱοὺς τυφλωθέντας ἀποκαταστῆσαι, χαριζόμενον αὐτῶν τῇ μητρὶ Κλεοπάτρᾳ τῇ Ἐρεχθέως.

Τελέσαρχος δὲ δι' Ὠρίωνα,

Cf. Sext.: Τελέσαρχος δὲ ἐν τῷ.. Ἀργολικῶν, ὅτι τὸν Ὠρίωνα ἐπεβάλετο ἀναστῆσαι.

Πολύανθος δὲ ὁ Κυρηναῖος[1] διὰ τὸ τὰς Προίτου θυγατέρας αὐτὸν ἰάσασθαι κεραυνωθῆναί φησιν,

Cf. Sext.: Πολύανθος δὲ ὁ Κυρηναῖος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως ὅτι τὰς Προίτου θυγατέρας κατὰ χόλον Ἥρας ἐμμανεῖς γενομένας ἰάσατο.

Φερεκύδης ⟨δὲ⟩ ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν τοὺς ἐν Δελφοῖς φησι θνήσκοντας αὐτὸν ἀναβιῶσαι[2].

Hoc fere ordine catalogum constitisse puto, quamquam non spondeo, in altera parte, qua pedestris orationis scriptores recensentur, ubique quod verum est me vidisse. Nimis enim quaestio impedita est, quoniam cum scholiastis agitur. Restat ut de Sexto pauca addam. Omisit Sextus Naupactiorum poetae testimonium, quem sine dubio adlegavisset, si accuratius fonte suo uti voluisset, contra Staphylum commemorat, qui ἐν τῷ περὶ Ἀρκάδων de Aesculapio dixerat ὅτι Ἱππόλυτον ἐθεράπευσε φεύγοντα ἐκ Τροιζῆνος κατὰ τὰς παραδεδομένας κατ' αὐτοῦ ἐν τοῖς τραγῳδουμένοις φήμας, ubi postrema verba nihil aliud significant nisi *secundum poetarum tragicorum narrationes*. Videtur igitur Staphylus memoriae tradidisse vivum Hippolytum ab Aesculapio sanatum esse, ut erat

---

siculi, quibus de angue agitur, genuini sunt, cum aliis equidem valde dubito, cf Kalkmann, De Hippolytis Eurip. p. 60 — totam historiolam expiscari minime licuit. Aliud deinde discrimen est, quod apud Hyginum salutifera herba ab angue imponitur anguis capiti, Ovidius tacet. Idem cadit in bacillum illud, quod gestat Aesculapius. Sed satis harum minutiarum. Apparet ex Ovidio non pendere Hyginum, immo proprium sequi auctorem.

[1] Cf. quae p. 7 adn. 1 disputavi.

[2] Cf. p. 3 adn. 2.

mirabilium narrationum captator; cf. argum. Eurip. Med. [Müller FHG IV 506 fr. 5]. Hoc ipsum Sexti quoque verba indicare videntur, quae Staphyli mentionem praecedunt: Πανύασσις δὲ διὰ τὸ νεκρὸν Τυνδάρεω ἀναστῆσαι. Verum cum de persona eius quem vitae reddidisse Aesculapius fertur, nihil novi doceatur neque Staphyli nomen in ceteris huius catalogi fontibus compareat, fortasse eius testimonium a catalogo alienum est a Didymo, si dis placet, doctrina male conlocata adglutinatum.

Haec fere habui quae de catalogo ipso loquerer; iam consideremus quid eo restituto lucremur. Adparet eiusmodi catalogorum — Apollodoreorum opinor — frustula permulta detegi posse, cum scholia lexicaque et quae his cognata sunt scripta uberrimam talis eruditionis materiam exhibeant, imprimis Philodemi de pietate libri, quorum pars I [p. 5—64 G.] in censum venit. Sed priusquam hanc quaestionem solvendam adgrediamur, non inutile videtur similem catalogum adiungere, quem certa coniectura Apollodoro vindicare possumus, simul ut ordo ille testimoniorum, quo de antea diximus, firmetur et stabiliatur.

Schol. Verg. Georg. I 16 adnotavit[1]: 'Pindarus Pana ex Penelope filium dicit', sed auctius codex G [II p. 174 L.]: 'Pana Pindarus ex Apolline et Penelopa in Lyco (Lycaeo) monte editum scribit, qui a Lycone (Lycaone) rege Arcadiae locus (Lycaeus) mons dictus: alii ex Mercurio et Penelopa natum ⟨nympharum⟩[2] comitem feras solitum e cubilibus excitare et ideo capripedem figuratum, quo facilius densitatem[3] cursu posset evadere [Cicero ait in IV Verrinarum Liberi esse filium][4]: alii eum ex Aethere et Oenoe[5]. Apollodorus sine parentibus eum scribit[6], quoniam universum i. e. τὸ ΠΑΝ huic deo sit attributum.'

Apollodori mentione, rarae sane in his regionibus avis, facile impellimur ut accuratius in eius opinionem inquiramus et quae in scholiorum oceano hic illic natant istius catalogi frustula conligamus. Grammaticum enim Atheniensem, Diogenis et Aristarchi discipulum intellegendum esse Stoicum Panis veriloquium docet, cf.

---

[1] Cf. [Prob.] ad Verg. p. 9 K., schol. Bernens. ad Verg. Ge. I 17 ed. Hag. Vide Bergk PLG[4] I p. 406 (Pind. fr. 100).

[2] Addidi *nympharum*.

[3] An *terrae* addendumst?

[4] *Cicero — filium* verba male interposita sunt.

[5] *Iunone* codex exhibet, quod Lion toleravit; ego *Oenoe* correxi; vide quae de scholiis Theocriteis et Euripidio disputabo

[6] Cod. *sinit*, unde *natum scribit* Lion effecit, *scribit* ego.

Cornutus p. 49, 5: τὸν Πᾶνα, ἐπειδὴ τῷ παντὶ ὁ αὐτός ἐστι, neque inutile videtur omnes qui huc faciunt locos in unum conspectum congerere, quamquam viris doctis non ignoti sunt. Agmen ducat scholiasta Lucani ad III 402 [Comment. Bernens. p. 110sq. Us.]: 'Pindarus et ca⟨e⟩teri[1] dicunt Apollinis et Penelop⟨a⟩e filium (Pana), alii Mercurii et eiusdem. Hunc natum montanis nimis a patre nutriendum traditum perhiben⟨t, un⟩de hylicus deus factus. Euphorion Ulixis filium manifestat. Nonnulli quidem sine origine hunc deum tradiderunt sicut Apollodorus.' Lucani scholiastae adiungo scholia Theocritea

Schol. Theocr. id. I 3 [II p. 34]:

Τὸν Πᾶνα οἱ μὲν λέγουσιν υἱὸν Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστήρων, καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα· Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ[2] Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους[3]· Ἀρίστιππος δὲ ἐν τῷ α΄ Ἀρκαδικῶν[4] Διὸς καὶ Νύμφης Οἰνηίδος[5]. Οἱ δὲ λέγουσι· διὰ τοῦτο Πάν, ὅτι † τῆς ὥρας ἐστὶ σημεῖον [τουτέστι] τοῦ παντός, ὅθεν κυρίως προσαγορεύεται Πάν[6].

Schol. Theocr. id. I 3 cod. Ambros. 222 ed. Ziegler:

Τὸν δὲ Πᾶνα οἱ μέν φασιν υἱὸν Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστήρων καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα· Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτο˜[2] Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους· Ἀρίστιππος δὲ ἐν τῷ α΄ Ἀρκαδικῶν Διὸς καὶ Νύμφης Οἰνηίδος. Οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι διὰ τοῦτο Πὰν καλεῖται, ὅτι † τῆς ὥρας ἐστὶ, σημεῖον δὲ τοῦ παντός, ὅθεν κυρίως προσαγορεύεται Πάν.

---

[1] *Pindarus et Hecataeus* Usener, *Pindarus &cateri* C.

[2] ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ verba ne graece quidem dicta sunt et interpolatori fortasse debentur.

[3] Non recte Ahrens, quem secutus est Kinkel FEG I p. 236, versum procudit

Πᾶνα καὶ Ἀρκάδιον διδύμους.

Vellem formam Ἀρκάδιον iustis exemplis confirmasset.

[4] Legebatur ἐν τῷ Ἀρκαδικῷ quod probabiliter correxit Toupius.

[5] Vide quae de hoc loco Ahrens in Adnotatione II p. 461 disputavit.

[6] Novissima verba variis coniecturis velut ὅτι τῆς σφαίρας ἐστὶ σημεῖον vel τοῦ ἀέρος, quorum auctores vide apud Ahrensium, temptata sunt; Ahrens ipse coniecit ὅτι τῆς φορᾶς ἐστι σημεῖον τοῦ παντός, cui non melius emendationem successisse puto. Primum enim obstat codicis Ambrosiani lectio σημεῖον δὲ τοῦ παντός; deinde Panis insignia et munera omnia minime motum qui est in rerum natura significant, ut putat Ahrens; neque iteratio eorundem fere verborum, ὅτι διὰ τοῦτο Πάν καλεῖται et ὅθεν κυρίως προσαγορεύεται Πάν in uno eodemque enuntiato tolerabilis esset: immo haec ipsa iteratio suadere videtur, ut verba tradita in duo cola dirimamus; sub

Adgnoscis in fine opinionem Apollodoream latere. Quae sequitur deinceps de Panis forma eiusque insignibus disputatio infra tractabitur. Adicit autem scholiasta Ambrosianus simillimam catalogi particulam ad eundem auctorem cui cetera debentur sine dubio referendam, qua non de Panis parentibus agitur sed de patria eius vel loco natali. Continuari igitur videtur prior catalogus. . . . . Ἡλιόδωρος δέ φησι μὴ αὐτόχθονα . . . . . . † τὸν δὲ Διός, ὃ καὶ † ⟨ὁ⟩ Κεφαλληνεὺς ἐν Θήραις τῆς Ἀρκαδίας φησὶ γεννηθῆναι τὸν Πᾶνα, ὄντα Πηνελόπης καὶ Ἑρμοῦ υἱόν· Θεόξενος δὲ οὐράνιον τὸν Πᾶνά φησιν. Διδύμαρχος δέ φησι γηγενῆ αὐτὸν εἶναι.

Iam superest unum scholion Rhesi pseudeuripidiae graviter id quidem corruptum, quod apte agmen testimoniorum claudit [ad vers. 36].

Τὸν Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης φασὶ † Καλλιστοῦς καὶ δύο παῖδας γενομένους, ἀφ' ἧς ὄρος Κυλλήνης †, ἄλλοι δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Πηνελόπης, ὡς καὶ Εὐφορίων, ὃν ἔθρεψαν νύμφαι· διὸ καὶ νυμφαγν.... αὐτόν φησι, τραφέντα παρ' ἐκείναις. Ἀρίαιθος δὲ ὁ Τεγεάτης Αἰθέρος αὐτὸν καὶ νύμφης Οἰνόης γενεαλογεῖ, ἔνιοι δὲ Ὀρσινόης νύμφης καὶ Ἑρμοῦ. Ἐπιμενίδης δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους. Μνασέας δὲ ξενικώτερον ἀφηγεῖται τὸν Πᾶνα[1] . . . . Αἰσχύλος δὲ δύο Πᾶνας[2] τὸν μὲν Διός, ὃν καὶ δίδυμον, τὸν δὲ Κρόνου.

Si quod adposui scholion cum textu Dindorfiano comparaveris statim animadvertes post Mnaseae mentionem lacunam me indicasse; non temere opinor. Nam quae secuntur verba ἢ ὅτι Κρόνου παῖς ἢ ὅτι παλαιότερος, Αἰθέρος γενεαλογούμενος (Κρόνους δὲ καὶ κρονίους τοὺς πάνυ ἀρχαίους ἔλεγεν)· ἢ παππωνυμικῶς, ὅτι Διός, ὡς τὸν Ἀχιλλέα Αἰακίδην a Dindorfio pessime Mnaseae testimonio adnexa sunt, cum aperte ad interpretationem Rhesi versiculi

ἀλλ' ἢ Κρονίου Πανὸς τρομερᾷ
μάστιγι φοβεῖ;

pertineant. Sed hoc parvi momenti est et quivis facile intellegere

---

verbis corruptis latere videtur adiectivum nescio quod, cuius restituendi ansam fortasse praebet scholiasta Lucani: 'nonnulli quidem *sine origine* hunc deum tradiderunt'.

[1] In editioneZiegleriana ἐν τοῖς ποιήμασι[ν αὐτο˜] legitur, quae quid sibi velint non intellego.

[1] Sequor apographon Brunnianum a Welckero [*Götterlehre* II p. 659] publici iuris factum, a quo editio Dindorfiana non raro discrepat.

[2] Post Πᾶνας Kampmannus λέγει addit, quod non necessarium est.

potest. Altiore indagine opus erit, si totum catalogum in integrum restituere conabimur. Priusquam enim de origine catalogi eiusque auctore iudicetur, de lectione constet necesse est[1]. Qua in quaestione a Vateri sententia proficiscendum est, qui conlato scholio Theocr. id. I 123 [II 81 Ahr.]: τὸν δὲ Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης καὶ Ὀδυσσέως ἢ Ἑρμοῦ, ἄλλοι δὲ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς, ἕτεροι δὲ Αἰθέρος καὶ Οἰνηίδος [ἢ Νηρηίδος] ἔνιοι δὲ Οὐρανοῦ καὶ Γῆς[2] Rhesi scholiastam sic emendari iubet: τὸν Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης καὶ Ὀδυσσέως ἢ Ἑρμοῦ φασιν, οἱ δὲ Καλλιστοῦς·καὶ Διὸς καὶ δύο παῖδας γενομένους Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα, μίαν δὲ θυγατέρα, ἀφ' ἧς τὸ ὄρος Κυλλήνης. At malo omine Vaterus[3], quem permulta hoc loco perverse administrasse non opus est pluribus exponere, scholiastam Theocriteum ducem sibi elegit. Nam si scholion Theocriteum supra commemoratum et id quod idyllii I versui 3 adscriptum est accuratius examinaverimus, statim adparebit sub illis ἄλλοι δὲ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Epimenidem ipsum latere. Atque cum Epimenides paullo postea a Rhesi commentatore commemoretur: Ἐπιμενίδης δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους, Vateri opinio corruat necesse est. Hunc enim secuti bis in eodem catalogo eiusdem scriptoris testimonium scholiastae obtruderemus, id quod fieri nequit. Improbato igitur Vateri commento nos quemnam ducem eligere debebimus? Ad scholiastas latinos confugiendum esse ego puto, qui cum neque corrupti esse videantur neque turbati, genuini catalogi umbram quandam fortasse servant: quam ob rem hos in redintegranda Panis genealogia sequamur.

Quae in codice G initio et paucis verbis mutatis apud scholiastam Lucani leguntur: 'Pana Pindarus ex Apolline et Penelopa in Lycaeo monte editum scribit' sic redeunt apud Rhesi commentatorem

ἄλλοι δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Πηνελόπης,

incipit autem scholion

Τὸν Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης φασι·

---

[1] Non mirabere quod argumentis fuse demonstrare supersedeo, omnes quos supra exhibui locos unius auctoris esse et eiusdem catalogi membra disiecta. Hoc in aprico est.

[2] Cf. schol. codic. Ambros. p. 17 Z.: τὸν δὲ Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης καὶ Ὀδυσσέως, ἄλλοι δὲ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς, ἕτεροι ⟨δὲ⟩ Αἰθέρος καὶ Οἰνηίδος, ἔνιοι δὲ Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, unde apparet rectissime Iacobsium verba ἢ Νηρηίδος ut glossema eiecisse.

[3] Novi Vateri sententiam, cuius librum inspicere non licebat, ex adnotatione Dindorfii.

(quae secuntur interim non curo), quibus verbis nihil aliud subesse nisi quae in scholiis Theocriteis [id. I 3] prima legimus

Τὸν Πᾶνα οἱ μὲν λέγουσιν υἱὸν Πηνελόπης καὶ πάντων τῶν μνηστήρων, καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα

luce clarius est. Neque video cur lepido illi invento fidem denegemus, quod Duridi Samio Tzetza ad Lyc. 772 [1] adtribuit; noli tamen credere Duridem primum in hanc opinionem incidisse, quae apprime poetae ingenio digna est.

Deinde adnectunt scriptores latini hanc genealogiam:

schol. Lucani: 'alii Mercurii et eiusdem. Hunc natum montanis nimfis a patre nutriendum tra'' ım perhibent, unde hylicus deus factus est.'

schol. Vergilii: 'alii ex Mercurio et Penelopa natum ⟨nympharum⟩ comitem feras solitum e cubilibus excitare et ideo capripedem figuratum, quo facilius densitatem ⟨terrae⟩ cursu posset evadere.'

His nihil apud scriptorem graecum respondet, sed hanc narratiunculam inserendam esse ea de causa verisimile est, quod notissima fuit et vulgaris. At tamen huius genealogiae frustulum tenue servatum videtur

ὡς καὶ Εὐφορίων, ὃν ἔθρεψαν νύμφαι· διὸ καὶ νυμφαγν.... αὐτόν φησι, τραφέντα παρ' ἐκείναις,

ubi falso Euphorionem commemorari nemo non videt, cum disertis scholiastae Lucani verbis constet eum Pana Ulixis filium 'manifestasse'. Loco igitur movendum poetae Alexandrini testimonium et posteriori disputationi reservandum est. Quae restant

ὃν ἔθρεψαν νύμφαι

perbene quadrant in verba latina

'hunc natum montanis nimfis a patre nutriendum traditum perhibent',

neque dirimenda sunt quae secuntur

διὸ καὶ νυμφαγν.... αὐτόν φησι, τραφέντα παρ' ἐκείναις.

Adfertur enim aut poetae nescio cuius locus, Pana fortasse νυμφάγνητον vel similiter adpellantis, aut dei cognomen velut νυμφαῖος, ut monuit Büchelcr, explicatur adiectis verbis τραφέντα παρ' ἐκείναις [2]. Itaque totus locus sic refingendus est

... ⟨ἄλλοι δὲ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης⟩, ὃν ἔθρεψαν νύμ-

---

[1] Δοῦρις ὁ Σάμιος ἐν τῷ περὶ Ἀγαθοκλέους φησὶ τὴν Πηνελόπην συγγενέσθαι πᾶσι τοῖς μνηστῆρσι καὶ γεννῆσαι τραγοσκελῆ Πᾶνα. Φλυαρεῖ δὲ περὶ τοῦ Πανός· ὁ Πὰν γὰρ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης ἄλλης γέγονε, καὶ ἕτερος Πὰν Διὸς καὶ Ὕβρεως.

[2] Tum φησι in φασι mutandum erit.

φαι· διὸ καὶ νυμφαγν.... αὐτόν φησι...., τραφέντα παρ' ἐκείναις. ⟨Ἄλλοι δὲ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης⟩ ὡς καὶ Εὐφορίων[1]. Seposito interim Apollodori testimonio scriptores latinos dimittamus et ad scholia Theocritea transitum faciamus. Atque primum quidem Epimenides adlegatur[2]

Ἐπιμενίδης δὲ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους,

quocum consentit Rhesi scholiasta. Iam licet ea verba quae initio scholii leguntur, quaeque antea intacta reliquimus adgredi. Sunt autem haec

Καλλιστοῦς καὶ δύο παῖδας γενομένους, ἀφ' ἧς ὄρος Κυλλήνης.

Primo obtutu tanta cum Epimenidis testimonio quod sequitur similitudo cernitur ut de origine dubitari non possit. Sunt mera dittographia testimonii Epimenidii paullo aliter conformati fortasse in hunc modum Ἐπιμενίδης δέ φησι διδύμους εἶναι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα Καλλιστοῦς καὶ Διὸς[3] παῖδας γενομένους. Quae restant verba ἀφ' ἧς τὸ ὄρος Κυλλήνη[4] — sic enim corrigendum est — sine dubio consociata fuerunt cum Callistus historia; sed quomodo hoc factum fuerit ne divinare quidem possumus. Nemo enim opinor comprobabit quod Vaterus olim lusit. Sane montem Cyllenium a Pane adamari e venusto illo Aiacis Sophocleae carmine v. 695 sqq. scimus. Confiteor non magnum fructum ex hac argumentatione redundasse, at tamen aliquid discimus: videtur enim Epimenidis testimonium non suo loco lectum fuisse, cum bis in eodem catalogo compareat, et si scholiastam Theocriteum sequimur, qui ante Aristippum, cui respondet Ariaethus, eius narrationem inserit, apud Rhesi commentatorem aptissime vati Cretensi pseudonymo ante Ariaethum locum invenimus. De Aristippo et Ariaetho atque Mnasea Aeschyloque non habeo quod addam. De Rhesi igitur scholio satis.

Paullo altiora canamus. Iam supra significavi omnes scholiastarum locos quos exscripsi et graecorum et latinorum pro uno catalogo habendos esse. Quod quam vere dictum sit hac ipsa re de-

[1] Pana Penelopae filium Euphorio non dixit: sed incidit in Ulixem patrem qui matrem noverat Penelopam.

[2] De Epimenide eiusque scriptis subditiciis docte egit Hiller, Mus. Rhen. XXXIII 1878 p. 525 sqq.; cf. Robert, Eratosth. p. 241 sqq. et in Addendis p. 251.

[3] Διὸς scripsi pro δύο.

[4] Cf. schol. Eurip. Or. 1647: γυναῖκα δὲ ἀγαγόμενος ἐπιχωρίαν Κυλλήνην (ὁ Πελασγός), ἀφ' ἧς τὸ ὄρος οὕτω καλεῖται, υἱὸν ἔσχε Λυκάονα κτλ.

monstramus quod unum locum ceterorum ope, quoad eius fieri poterat, refinximus. Quam ob rem non fas est unum alterumve scriptorem, quia semel commemoratur, a catalogo illo arcere, cuius hanc fere formam fuisse puto.

Τὸν Πᾶνα οἱ μὲν Πηνελόπης φασὶν υἱὸν καὶ πάντων τῶν μνηστήρων, καὶ διὰ τοῦτο λέγεσθαι καὶ Πᾶνα[1],

ἄλλοι δὲ (Pindarus et Hecataeus?) Ἀπόλλωνος καὶ Πηνελόπης (in Lycaeo monte editum),

ἔνιοι δὲ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης, ὃν ἔθρεψαν νύμφαι· διὸ καὶ νυμφαγν.... αὐτόν φησι [?], τραφέντα παρ' ἐκείναις,

ἄλλοι δὲ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης, ὡς καὶ Εὐφορίων[2],

Ἐπιμενίδης δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους,

Ἀρίαιθος δὲ ὁ Τεγεάτης Αἰθέρος αὐτὸν καὶ νύμφης Οἰνόης γενεαλογεῖ[3],

Ἀρίστιππος δὲ ἐν τῷ α' Ἀρκαδικῶν Διὸς καὶ νύμφης Οἰνηίδος[4],

ἔνιοι δὲ Ὀρσινόης νύμφης καὶ Ἑρμοῦ,

Μνασέας δὲ ξενικώτερον ἀφηγεῖται τὸν Πᾶνα[5] . . . . . .

Αἰσχύλος δὲ δύο Πᾶνας, τὸν μὲν Διός, ὃν καὶ δίδυμον, τὸν δὲ Κρόνου[6].

Hanc testimoniorum seriem si oculis perlustramus eundem ordinem observari facile intellegimus quem antea in Aesculapio deteximus. A notissimis genealogiis transimus ad reconditas, a poetis ad prosaicos. Verisimile inde fit huius catalogi Apollodorum esse auctorem. Et accedunt alia argumenta. Singulos enim scriptores, qui in catalogo commemorantur, quorumque aetas certo definiri

[1] Quam tritus fuerit huius veriloquii lusus cognoscis e Gregor. Naz. or. contr. Iul. I. c. 77 [XXXV p. 601 Migne]: καὶ τὸν σεμνὸν Πᾶνα, τὸν ἐκ πάντων ⟨τῶν⟩ μνηστήρων ἕνα θεὸν καὶ ὄνομα λαβόντα τὴν ὕβριν, ὥσπερ ἦν ἄξιον. Cf. Nonnus ad eundem Greg. c. 40 [XXXVI p. 1008] et ad or. II c. 34 [XXXVI p. 1052].

[2] Meinekii Analect. Alex. p. 158 sq.

[3] Mülleri FHG IV p. 319, fr. 5.

[4] Mülleri FHG IV p. 327, fr. 2.

[5] Mülleri FHG III p. 150, fr. 7.

[6] Nauck FTG p. 88, fr. 367; cf. Lyd. de mens. IV p. 118: δύο Πᾶνάς φασιν· τινὲς δέ φασι τὸν Πᾶνα ἐκ Κρόνου καὶ Ῥέας γενέσθαι, ἀντὶ τοῦ 'ἐκ τοῦ νοῦ καὶ τῆς ὑγρᾶς οὐσίας (οἷον τῆς ὑλικῆς ἀπειρίας) τόδε τὸ πᾶν.

potest, si examinamus, omnes ante Apollodorum vixisse adparet, idemque in reliquos, quorum de aetate non constat, cadere summa cum probabilitate contendere possumus. Denique quod scholiastae Vergilii et Lucani in fine catalogi Apollodoro testimonium denuntiant secundum aureum Ritschelii praeceptum optime sic explicatur, ut totius catalogi fontem fuisse Apollodorum statuamus. Atque Rhesi commentatorem — Didymum opinor — bene novisse Apollodori περὶ θεῶν libros inde cogitur quod et alibi et in hoc ipso scholio Apollodorum laudat, qui locus fugit Heynium Müllerumque, Apollodori editores.

Transeo ad novam quaestionem solvendam, quam antea intactam reliqui. Cum ipsa enim Apollodori mentione apud scholiastam Vergilii et qui proxime ad eum adcedit Theocriteum ab Ahrensio non bene tractatum allegorica de Pane disputatio coniuncta est, qua dei insignia ad mundi similitudinem conformata esse docetur. Qui obiter haec inspexerit prorsus abiciet, cum simillimae sint philosophorum Platonicorum nugae, quarum numerum non parvum e Suida aliisque congerere possumus. At obstat argumentum gravissimum. Apud Cornutum, quem Stoicorum opiniones satis puras conservasse scimus neque raro Apollodori vestigia pressisse alibi comprobare conatus sum, eadem fere de Pane iisdem verbis enarrata inveniuntur[1], p. 49 sq. L. Τοῦτον εἶναι καὶ τὸν Πᾶνα, ἐπειδὴ τῷ παντὶ ὁ αὐτός ἐστι. καὶ τὰ μὲν κάτω λάσια καὶ τραγώδη διὰ τὴν τῆς γῆς δασύτητα ἔχειν, τὰ δ' ἄνω ἀνθρωπόμορφα διὰ τὸ ἐν τῷ αἰθέρι τὸ ἡγεμονικὸν εἶναι τοῦ κόσμου, ὅ δὴ λογικόν ἐστι[2] .... νεβρίδα δὲ ἢ παρδαλῆν αὐτὸν ἐνῆφθαι διὰ τὴν ποικιλίαν τῶν ἄστρων καὶ τῶν ἄλλων χρωμάτων ἃ θεωρεῖται ἐν αὐτῷ. συρικτὴν δὲ εἶναι τάχα μὲν διὰ τὸ ὑπὸ παντοίων ἀνέμων διαπνεῖσθαι κτλ. Atque Cornuti non parva auctoritate commovemur, ut Stoicos quoque ita nugatos esse credamus, neque magno opere refragabor, si quis

---

[1] Vide etiam Mythogr. Vat. I c. 127 p. 40 sq. Bode (Mythogr. Vatic. III c. 8, 2 p. 200 B.) Serv. ad Verg. ecl. II 31, Philargyr. ibid., schol. Opp. Hal. III 15. cf. Ahrens in Adnot. p. 461 sq.

[2] Quae secuntur λάγνον δὲ καὶ ὀχευτὴν αὐτὸν παρεισάγεσθαι διὰ τὸ πλῆθος ὧνπερ εἴληφε σπερματικῶν λόγων καὶ τῶν κατὰ σύμμιξιν ἐξ αὐτῶν γινομένων. ἐν ταῖς ἐρήμοις δὲ διατρίβειν μάλιστα τῆς μονότητος αὐτοῦ διὰ τούτου παρισταμένης· εἷς γὰρ καὶ μονογενὴς ὁ κόσμος ἐστί. τὰς δὲ Νύμφας διώκειν, ἐπειδὴ χαίρει ταῖς ἐκ τῆς γῆς ὑγραῖς ἀναθυμιάσεσιν, ὧν χωρὶς οὐδ' οἷόν τ' ἐστὶν αὐτὸν συνεστάναι· τὸ δὲ σκιρτητικὸν αὐτοῦ καὶ παικτικὸν τὴν ἀεὶ κίνησιν τῶν ὅλων ἐμφαίνει huc non faciunt.

Apollodoream doctrinam vel potius δοκησισοφίαν his ineptiis subesse statuat.

De supplemento codicis Ambrosiani pauca dicenda sunt.

Ἡλιόδωρος δέ φησι μὴ αὐτόχθονα . . . † τὸν δὲ Διός, ὃ καὶ † . . . ⟨ὁ⟩ Κεφαλληνεὺς ἐν Θήραις τῆς Ἀρκαδίας φησὶ γεννηθῆναι τὸν Πᾶνα, ὄντα Πηνελόπης καὶ Ἑρμοῦ υἱόν. Θεόξενος δὲ οὐράνιον τὸν Πᾶνά φησιν, Διδύμαρχος δέ φησι γηγενῆ αὐτὸν εἶναι.

Operam et oleum perdidi, cum verba corrupta sanare studebam in summa omnium testimoniorum penuria, praesertim cum Κεφαλληνεύς ille quo nomine gaudeat indagare non possim. Ante Heliodori nomen nonnulla intercidisse nemo non videt. Nam cum umbra pugnaret, qui Pana non autochthona esse adseverat, nisi contraria praegressa esset sententia. Possit quispiam conicere Didymarchi testimonium ante Heliodori ponendum esse, quoniam apud scriptores recentiores αὐτόχθων et γηγενής verba idem significant et promiscue usurpantur. Quamquam fateor hanc emendandi rationem mihi non valde adridere. Sed utcunque de singulis verbis iudicas: certum est neque ulli dubitationi obnoxium a praecedenti catalogo hoc verae doctrinae frustulum, quo non iam de Panis parentibus sed de autochthonia eius et loco natali agitur, minime separandum esse, immo vinculo artissimo cohaerere et eidem cui cetera debentur auctori vindicandum, Apollodoro [1].

His peractis ad eam quaestionem nos vertamus quae iamdudum nos alliciebat et invitabat. Duos catalogos coniectura satis certa Apollodoro adsignavimus. Necesse est similes catalogi omnes ubique dispersi conligantur et examinentur num Apollodorei sint, cum consentaneum videatur non duorum catalogorum finibus angustis Apollodori memoriam mythographam circumscriptam esse. Quod negotium in me recipere nunc nolo. Unum Philodemum pertractabo, qui propter rerum memorabilium copiam dignus est in quem adcuratius quam adhuc factum est inquiratur. Possit enim aliquis ex iis quae disputavi suspicari, quoniam Philodemi de pietate liber eiusmodi catalogis scateat, hos omnes grammatico Atheniensi adtribuendos esse. Facem praetulit Bergk, qui ad Pindari fragmentum 267 [PLG I⁴ p. 465] e Philodemo περὶ εὐσ. p. 42 G. desumptum Apollodori περὶ θεῶν opus Philodemum descripsisse

[1] Theoxenus ille, qui οὐράνιον τὸν Πᾶνα adpellaverat, videtur lyricus poeta esse; apud Bergkium eum non invenio.

statuit non comprobavit argumentis [1]. Qua via vir eximius, cuius mortem etiamnunc lugemus, in hanc sententiam adductus sit nescio, eadem fortasse qua nos quoque. Et recte sine dubio, si summam sententiae spectas, iudicavit. Attamen cautione opus est, ne omnia ex Apollodori thesauro conflata esse opinemur, quapropter nonnullos catalogos adcurate examinemus.

Velim perlegas p. 31 G., ubi frustulum Apollodoreum latere ego ipse persuasum habeo.

(Ζεὺς) τὴν κεφ[αλ
ὴ]ν ὑ[π]ὸ Ἡφαίστου
δ]ιαιρεῖται, κατὰ [δ-
ὲ τ]ὸν Εὔμολπ.... [2]
. . . .
. . . .
. . . . . ὑπὸ Παλαμάο-
ν]ος· ἔνιοι δ' ὑφ' Ἑρμοῦς
παραδεδώκασι[ν,
καὶ τῶν ἀρχαίων τι-
νὲς δημιουργῶν
τοῦτον παρεσ[τῶ-
τα τῷ Διὶ πο[οῦσι
πέλεκυν ἔχον[τα κα-
θάπερ ἐν τῷ τῆ[ς
Χαλκιοίκου [3].

Cum Philodemo ita concinit schol. Pind. Ol. VII 66, ut ex eodem fonte — Apollodoro — utrumque hausisse confitendum sit.

I οἱ μὲν Παλαμάονα λέγουσι ῥῆξαι τὴν τοῦ Διὸς κεφαλήν, ὅτε Ἀθηνᾶ ἐγεννᾶτο· οἱ δὲ Ἑρμῆν· οἱ δὲ Προμηθέα. Ἀριστοκλῆς [4] δὲ ὑφίσταται τὴν γέννησιν Ἀθηνᾶς ἐν Κρήτῃ· νεφέλῃ γάρ φησι

---

[1] Vide eundem Bergkium ad Stesichori fragmentum 38 [PLG III[4] p. 221]. Cf. Aug. Guttmann, De hymn. Hom. (Gryphiae 1869) p. 4.

[2] Charta haec exhibet

KATA..
..¯ONEYMCΛΠ....
....ΘENTΛ...¯AΠO...
...INYΠO κτλ.

quae Sauppe sic supplevit: κατὰ [δὲ] τὸν Εὔμολ[πον διαιρε]θέντα [Δί]α πο[οῦσ]ιν ὑπὸ Παλαμά[ονος, Nauck: κ. δ. τ. Εὔμολ[πον ἢ τὸν συν]θέντα [τὰ Εὐμόλ]πο[υ ἔπη] ὑπὸ Παλαμά[ονος, Gomperz ἢ τὸν συν]θέντα [τ]ὴν πο[ίησ]ιν; ποιητὴν in fine adgnoscit Bücheler.

[3] Hinc inlustrandus Pausanias III 17, 3.

[4] Ἀριστοκλῆς Böckh e Vrat. D et Gott. restituit.

κεκρύφθαι τὴν θεόν, τὸν δὲ Δία πλήξαντα τὸ νέφος προφῆναι αὐτήν.

II ἐν τοῖς Μουσαίου Παλαμάων λέγεται πλῆξαι τοῦ Διὸς τὴν κεφαλὴν, ὅτε τὴν Ἀθηνᾶν ἐγέννα. ἔνιοι δὲ τὸν Προμηθέα λέγουσι. Σωσίβιος δὲ Ἑρμῆν φησιν. Ἀριστοκλῆς δὲ νέφει συγκεκροῦσθαι [? συγκεκρύφθαι] τὴν θεόν, τὸν δὲ Δία πλήξαντα τὸ νέφος ἐκφῆναι τὴν θεόν.

Omisit schol. Pind. notissimam fabulae formam, qua Vulcanus Iovis caput percussisse dicebatur. Ordo catalogi hic fuit: Vulcanus Palamaon Mercurius Prometheus [1]; quem ordinem paullulum scholiasta Pindaricus II immutavit. Uterque autem pleniora exhibet scriptorum testimonia additis plerumque nominibus. Atque Aristoclem illum Rhodium fuisse Böckh putat, quem constat Strabonis aetate [cf. Strab. XIV p. 655 C.: Ἀριστοκλῆς ὁ καθ' ἡμᾶς; vide Wyttenbachium ad Bakii Posidon. p. 263 sq.] aut paullo antea vixisse. Quem si recte Böckh intellexit, neque obstant difficultates, quominus hoc credamus, ne potuit quidem Aristocles ab Apollodoro commemorari, et a scholiorum auctore, quem Didymum fuisse prona est suspicio, adiectus est. Hoc optime quadrat in Clementis Alexandrini locum [Cohort. ad gent. p. 24 P.], ubi cognominum deorum stemma invenitur καὶ μὴν Ἀπόλλωνα ὁ μὲν Ἀριστοτέλης [Ἀριστοκλῆς corr. V. Rose, Aristotel. pseudep. p. 615] πρῶτον Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς — ἐνταῦθα δὴ οὐκέτι παρθένος ἡ Ἀθηνᾶ [2] —, δεύτερον ἐν Κρήτῃ τὸν Κορύβαντος, τρίτον τὸν Διός καὶ τέταρτον τὸν Ἀρκάδα, τὸν Σιληνοῦ· νόμιος οὗτος κέκληται παρ' Ἀρκάσιν· ἐπὶ τούτοις τὸν Λίβυν καταλέγει τὸν Ἄμμωνος. ὁ δὲ Δίδυμος ὁ γραμματικὸς τούτοις ἕκτον ἐπιφέρει τὸν Μάγνητος. Dicit igitur Clemens Alexandrinus Aristoclem quendam — amplector enim coniecturam Rosei, quem minus recte idem nomen Aristotelis substituisse apud Macrobium Sat. I 18, 1 Macrobii additamento *qui Theologumena scripsit* patefit — quinque Apollines enumerasse, sextum adiecisse Didymum i. e. Didymus — Chalcenterus opinor id quod Clemens indicare videtur verbo ὁ γραμματικός [3] — adposuit Aristoclem, qui quinque fuisse Apollines adseveraverat, sextum τὸν Μάγνητος ipse addidit. Hunc Aristoclem et eum qui schol. Pind. l. c. commemoratur unum eundemque hominem esse putaverim. Itaque Aristoclis scripta a Didymo saepenumero esse adhibita videntur [4].

---

[1] Cf. e. gr. Eurip. Ion. 455.
[2] Clemens ἐνταῦθα — Ἀθηνᾶ verba de suo interposuit.
[3] Cf. M. Schmidt, Didymi fragm. p. 363.
[4] Aristocles primus quinque Apollines indagavit, cum Tullius de deor.

lateat cognoscimus e scholio Pindarico. Est Sosibius Laco [cf Müller FHG II 625], non ignobilis grammaticus et historicus, qui Ptolemaei Philadelphi temporibus florebat. Unus Musaeus aut Eumolpus explicatione indiget. Musaeum nominat Pindari scholiasta, Eumolpum, si fides habenda sit viris doctis, qui litterarum apices Εὐμολπ in hunc modum suppleverunt, Philodemus. Facillime sane haec difficultas removeri possit, si statuamus et Eumolpum et Musaeum ab Apollodoro commemoratos fuisse. Atque exstat Eumolpi versiculus a Diodoro I 11, 3 servatus a Kinkelio omissus

τῶν δὲ παρ' Ἕλλησι παλαιῶν μυθολόγων τινὲς τὸν Ὄσιριν Διόνυσον προσονομάζουσι καὶ Σείριον παρωνύμως· ὧς Εὔμολπος μὲν ἐν τοῖς Βακχικοῖς ἔπεσί φησιν

ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.

Fuerunt igitur qui Eumolpi quoque personam induerent et sua carmina vatis vetustissimi nomine exornarent. Quam ob rem ab hac parte de Eumolpo scriptore dubitare non licet. At tamen persuasum habeo aliquo modo a Philodemo Musaeum indicatum fuisse. Atque cum Musaeus et Eumolpi filius esse dicatur — cf. Laert. Diog. I prooem. § 3 — et Εὐμολπίαν scripsisse, de qua pauca tradit Pausanias X 5, 6 cf. Kinkel FEG I 223, fr. 1, inde fortasse emendationis subsidia repetenda sunt. Sed quocunque modo de Eumolpo et Musaeo iudicas, non tantum esse quod inter Philodemum et scholiastam Pindaricum intercedit discrimen ut alterutrum alium auctorem secutum statuamus, immo utrumque Apollodori copiis usum esse lubentissime concedes.

Huic catalogo similes sunt apud Philodemum multi fortasse Apollodorei, praesertim si rarae memoriae poetae commemorantur velut Cinesias et Telestes. Quod tamen, quia coniectura tantum nititur neque scholiorum comparatione confirmari potest, non amplius persequor et in contrariam sententiam disputare malim. Quid

---

nat. III 23 § 57, qui idem enchiridion graece conscriptum quod Clemens sed recensionem vetustiorem adhibuit, quattuor tantum noverit. Vides etiam hac ex parte Böckhii de Aristoclis aetate sententiam egregie confirmari. Contra recensione Aristoclea utitur Ampelii lib. mem. c. 9 auctor latinus fortasse Nigidius. Praeterea eiusdem compendii fragmina inveniuntur apud Cicer. de deor. nat. III 16, 42; III 21—24 §§ 53—61; Lyd. de mens. IV pp. 82. 89. 94. 95. 105. 125 Schow.; Serv. ad Verg. Aen. I 297, IV 577. cf. Mythogr. Vat. II 41 [I p. 88 sq. Bode], Luct. Plac. ad Stat. Theb. IV 482 cl. O. Iahn Mus. Rhen. IX 1854 p. 627.

enim? putasne Apollodorum eiusmodi catalogum composuisse, qualis legitur p. 36, 14 G.?

ἀλλὰ [δ]ὴ καὶ
νοσοῦντα πεποι-
ή]κασι τ[ὸν] Ἡρακλέ-
α κ]αὶ τὴ[ν Λητ]ὼ [κ-
ατ]ὰ τὰς [ὠδῖ]νας (?)
κ]ἄνακ[τα θε]ῶ[ν
δ . . . . τὸν
Δία, τὸν [δ]' Ἡρακλέ-
α καὶ μά[λ'] ἀκατά[σ-
χετον, [ὡς] Σοφο-
κλῆς [καὶ Ε]ὐριπί-
δης, κ[αὶ τὸ]ν Διόνυ-
σον, ὡ[ς Ἀχ]αιὸς ἐν Ε[ἰ-
ριδει σατ[ύρ]οις καὶ
Φερ]εκ[ύδης ὁ] Ἀθη-
ναῖ]ος.

Aperte in hunc finem ista testimoniorum conlectio facta est ut vanae plebis de dis opiniones inriderentur et quam turpia et inhonesta poetae commenti essent ostenderetur. Talia apud Apollodorum inveniri non poterant, nisi forte statuis, quod sane absurdum est, has nugas eum conlegisse, ut poetarum fabulas reiceret et suam ipsius philosophiam commendaret. Porro quid huic Philodemi loco facies? num Apollodoro vindicabis?

p. 42 G.

λέγουσιν [δέ τι-
νες, οὓς καὶ Μέ[ναν-
δρος παραινί[ττε-
ται, κα[ὶ τ]ὴν Ἑ[κάτην
ὀπαδό[ν Ἀρ]τέ[μιδος
εἶναι, Δήμη[τρος
δὲ λάτριν Εὐρι[πίδης,
Ὅμηρος δ' ἐν [τοῖς
ὕμ]νοις πρόπ[ολον
καὶ [ὀπ]άονα [1] . . . .
. . . . δὲ τροφ[όν
. . . . . δὲ τὴ[ν αὐτὴν
χρυσοφαῆ θερ[άπαι-

[1] Quae secuntur Bücheler supplevit Σοφοκλ]ῆς δὲ τροφ[όν, ἐν Σισύ]φωι δὲ τὴ[ν αὐτὴν] χρυσοφαῆ κτλ.

v]αν Ἀφροδείτ[ης.
παρ' Ὁμήρῳ δὲ [Πρω-
τ]εύς ἐσ[τι] Ποσ[ειδ-
ῶ]νος ὑπ[οδμώς· πα-
ρὰ δὲ τῷ ποή[σαν-
τι τὴν Δανα[ίδα
μητρὸς τῶν θ[εῶν
θ]εράπον[τ]ες [Κου-
ρῆτες· Στησ[ίμβρο-
τος δὲ Ἄρτεμ[ιν αὐ-
τῆς καὶ Ἀθην[ᾶν
ὀπαδού[ς.

Quo tendat hic catalogus in aprico est. In eundem finem atque is quem p. 36 G. legimus compositus est: nempe ut vanae vulgi opiniones inriderentur, quod deos deis servire putaret. Dimicat non docet qui hanc testimoniorum seriem contexuit. Neque possumus iustam et idoneam causam invenire qua commotus talia operi suo Apollodorus inseruerit. Concedo tamen quaestionem ad finem nondum perductam esse. Solvet eam qui mecum p. 17 G. inspexerit et examinaverit.

τὸν Ἀσκλ[ηπιὸν δ' ὑ-
πὸ Διὸς κε[ραυνω-
θῆναι[1] γέγρ[αφεν Ἡ-
σίοδος κα[ὶ Πίνδ-
αρος (?)[2] καὶ Φε[ρεκύδης
ὁ Ἀθηναῖος [καὶ Πανύ-
ασσις (?)[3] καὶ Α.....[4]
καὶ Ἀκουσ[ίλαος καὶ
Εὐριπίδ[ης .....
λέγει 'Ζ[εὺς γὰρ κα-
τ]ακτὰς πα[ῖδα τὸν
ἐμόν' καὶ ὁ τ[ὰ Ναυ-
πάκτια ποι[ήσας
καὶ Τελέστ[ης ἐν Ἀσ-
κληπιῷ

---

[1] Gomperz κεραυνωθῆναι supplevit, cum charta aperte praebeat ΚΛ, quibus litterarum apicibus nihil aliud subesse potest nisi verbum aliquod cum praepositione κατά compositum.

[2] ΔΡΟΣ charta exhibet

[3] ΔΟΣΙΣ legitur in papyro.

[4] Ἄ[νδρων restituit Gomperz. Nauck.

Enumerantur hoc catalogo ii scriptores qui Aesculapium Iovis fulmine percussum diem supremum obiisse memoriae tradiderunt. Et cum partim iidem testes atque antea provocentur, facile aliquis suspicari possit, etiam hunc locum Apollodoro vindicandum esse, cum Philodemus eundem catalogum, quem p. 5/ G. adhibuit quemque Apollodoreum esse evicimus, in usum vocaverit sed diligentius exscripserit.

Cui coniecturae dubitationes gravissimae obmovendae sunt. Scimus qui finis catalogi vere Apollodorei fuerit: non coacervantur vana et inutili doctrina eorum testimonia qui omnino mortuum esse Aesculapium narraverant, sed cur Iuppiter iratus in nepotem fulmen miserit docte et diligenter variae causae indicantur adpositis singularum narrationum auctoribus. Iam adcurate perlegas hunc catalogum. Hesiodi testimonium si ad fragmentum 105 Kinkel ab Athenagora [Suppl. pro Chr. XXIX p. 152 O.] servatum revocandum est

Πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε
χώσατ', ἀπ' Οὐλύμπου δὲ βαλὼν ψολόεντι κεραυνῷ
ἔκτανε Λητοΐδην [1] ὀλοὸν [2] σὺν θυμὸν ὀρίνων,

ne dici quidem videtur, qua re Iuppiter iratus fuerit. Sed poterat hoc indicari antea, quod ut credam ipsius fragmenti verbis πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε χώσατο adducor. Pindari deinde mentionem, si omnino eius nomen recte restitutum est, ad Pyth. III 96 revocandam esse Gomperz adnotavit. Cf. indic. Gomperzii p. 157. Quod si verum est, et suadere videtur Clemens Alexandrinus [Cohort. p. 25 P.], ut verum id esse putemus, nullo modo scire potuit auctor catalogi, quamnam causam Pindarus animo sibi finxisset. Propterea scholiasta ad hunc locum indicem illum adposuit, de quo antea egimus. Superest Alcestidis Euripidiae versus 3, testimonium gravissimum [3], quod addubitare non iam licet. Servata est Alcestis: nusquam per totam fabulam nedum hoc loco sermo inicitur, qua de causa Apollinis filius Iovis iram et fulmen in se excitaverit. Hinc apparet quomodo catalogus intellegendus sit. De morte Aesculapii agitur, non de causis mortis, quo in argumento similis catalogus — Apollodoreus — versatur; neque credibile videtur utrumque catalogum ab eodem scriptore profectum esse, quia

---

[1] Λητοΐδην defendit Meineke Analectorum Alex. p. 71.

[2] Köchly ὀλοόν scripsit, φίλον vulg.

[3] Ex eodem fonte unde Philodemus novit Clemens Alexandrinus [Cohort. p. 25 P.] versum Euripidium, Pindari testimonium supra commemoratum Athenagoras [Suppl. pro Chr. c. XXIX p. 154 O.].

versum adgnoscimus. Sed quaestio ad liquidum nondum perducta est. Putasne tam rarae memoriae poetas velut Naupactiorum auctorem, Panyassidem, si re vera eius nomen latet, Telestem a scriptoribus diversis adhibitos esse? De Naupactiorum poeta et fortasse de Panyasside hoc concedo, de Teleste non concedo. Poeta ille rarissime lectus uni Apollodoro vindicandus est. Quid igitur? non possumus hunc, qui p. 17 G. extat, catalogum Apollodoro adsignare, attamen Apollodoreae doctrinae vestigia insunt. Audio te dicentem, ex duobus catalogis, altero Apollodoreo, eum conflatum esse novamque seriem testimoniorum post Euripidem incipere. Crederem te recte iudicasse, nisi duo obstarent argumenta. Primum quod Pherecydes et Panyassis, qui apud Apollodorum quoque comparent — vide quae p. 8 sq. disputavi — initio catalogi commemorantur, deinde quod non satis credibile videtur, Philodemum hunc catalogum nescio unde desumpsisse, postea Apollodorum evolvisse, quem nonnullarum paginarum spatio interiecto iterum exscripserit. Itaque sic concludendum est, Philodemi auctorem e pannis Apollodoreis sua consuisse; et multi Philodemi catalogi ad illum referendi sunt. Alibi philosophus Epicureus, quamquam ipsius Apollodori opere non usus esse videtur, tamen scriptorem adhibuit qui prorsus ex Apollodoro pendet, eiusque frustulis disputationem exornavit velut p. 52. Atque bene cognitos habebat grammatici Atheniensis libros, non solum Chronica, quae saepe usurpavit [1], sed etiam, ut par erat, περὶ θεῶν opus. Cf. Philod. περὶ εὐσεβείας p. 64 G.

Sed vela contrahenda sunt. Quivis enim intellegere potest, qui fructus ad historiam fabularem Graecorum cognoscendam redundet, si quae dixi recte disputata sunt. Si minus, satis laudis adsecutus esse mihi videbor, si non turpiter me errasse viri docti iudicaverint.

---

[1] Cf. e. gr. Philodem. περὶ φιλοσόφων [voll. Hercul. conlect. prior t. VIII] col. XI

ἀλ[λὰ] τά γε πλε[ῖσ-
τα τῆς [Σ]τοᾶς ἀξιολόγως τὴ[ν
ἀ[ρχὴ]ν ἔλαβεν διὰ Ζήνων[ος
οἵ τε Στωικοὶ [π]άντε[ς] ὡς εἰπεῖν
τὰ πρωτεῖα τῆς ἀγωγῆς ἀπο-
νέμου[σιν αὐ]τῷ καὶ μετὰ
τούτων [ὁ τοὺς τ]όπο[υς] καὶ τ[οὺς
χρόνους ἀ[να]γράψας Ἀπολ-
λόδωρος

quem locum olim Usener mecum communicavit. ἀρχὴν supplevi. Cf. col. XVIII